VIRUM SUMME REVERENDUM

JOSEPHUM IGNATIUM RITTER

SS. THEOL. DOCT. PROF. P. O. VENERABILIS COLLEGII QUOD EST PENES ECCLESIAM CATHEDRALEM AD S. JOHANNEM CANONICUM

UNIVERSITATIS LITTERARUM VRATISLAVIENSIS

RECTOREM MAGNIFICUM

IN NOVUM ANNUM CREATUM

DIE XIX. OCTOBRIS HORA XI.

IN AULA LEOPOLDINA

MAGISTRATUM SOLENNI MODO INITURUM

NUNTIAT

CAROLUS AUGUSTUS DOMINICUS UNTERHOLZNER

EXEUNTIS ANNI RECTOR.

PRAEMISSA EST DISSERTATIO DE MUTATA RATIONE CENTURIATORUM COMITIORUM A SERVIO TULLIO REGE INSTITUTORUM.

VRATISLAVIAE MDCCCXXXV.

Centuriata comitia a Servio Tullio rege instituta usque ad extrema liberae reipublicae tempora in usu permansisse, immo etiam sub Caesaribus aliquamdiu valuisse, notissimum est. Neque dubitare licet, quin centuriarum ratio et indoles iam dudum talis esse desierit, qualis ex Servii Tullii institutione fuerat, quamvis de tempore, quo illam commutatam putemus, non satis constet. Testem habemus Livium (I, 34), qui, descripta classium centuriarumque Servianarum institutione, ita pergit: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est post expletas quinque et triginta tribus, duplicato eorum numero centuriis iuniorum seniorumque, ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire.* Quae licet certissima sint, nihilo tamen minus ipsa centuriarum ratio, quae in locum ordinationis a Servio Tullio institutae successit, adeo obscura est atque intricata, ut viri ingeniosissimi doctissimique, quamvis summa sollertia quaecunque ad rem facere viderentur collegerint, summoque studio in hisce rebus indagandis versati fuerint, in diversissimas sententias inciderint. Inspicite, si placet, quae Drachenborchius in notis suis ad Livium (I, 43) de Antonii Augustini vel potius Octavii Pantagathi sententia retulit; perlegite Nicolai Gruchii librum doctissimum de comitiis Romanorum; videte, quae vir celeberrimus Carolus Fridericus Savignius in Hugoniano promtuario iuris exposuit; pervolvite Christiani Friderici Schulzii librum de comitiis Romanorum; perscrutamini Georgii Caroli Friderici Franckii tractatum elegantissimum de tribuum, curiarum atque centuriarum ratione; consulite sagacissimi Caroli Hüllmanni libros de iure publico antiquorum temporum et de forma reipublicae Romanorum; perpendite quae a viro et ingenio et doctrina praestantis-

1 *

simo, Georgio Bartholdo Niebuhrio in scriptiunculis, in quibus vexatissimum M. Tullii Ciceronis locum in libro secundo de republica (II, 22) emendare atque explicare conatus est, prolata, et ab adversariis eius, eundem locum tractantibus, disputata sunt; adhibete denique G. C. Burchardii opusculum de censu Romanorum et J. E. Boneri dissertatiunculam de comitiis Romanorum centuriatis. Mira sane apparebit eruditorum virorum dissensio. Neque quis credat, eandem sopitam esse, quum illustris Niebuhrius sententiam suam in tomo tertio historiae Romanae, post mortem praematuram auctoris in lucem edito, denuo exposuisset novisque argumentis firmasset. Ecce enim iureconsultus Bonnensis, doctissimus et de historia iuris romani optime meritus, Ferdinandus Waltherus, licet ipse clarissimi Niebuhrii detrectatoribus non sit accensendus, sed interdum fortasse etiam nimis viri immortalis vestigiis inhaereat, reiecta Niebuhriana sententia contrariae opinionis assecla exstitit. Quae quum ita sint, satis excusatus esse mihi videor, si argumentum toties tractatum et nostra quoque aetate saepius excussum, data occasione, denuo in disputationem adducendum existimavi.

Serviana centuriatorum comitiorum ratio in eo potissimum consistit, quod populus in classes et centurias digestus ordine legibus statuto ad suffragia ferenda vocatur. Cuius ordinationis praecipuam partem etiam iis, quae citerioribus aetatibus in usu erant, centuriatis comitiis servatam videmus.

I. Servatam esse descriptionem populi in classes, satis apertum est. Livius enim (XLIII, 16) de C. Claudii censoris condemnatione memoriae prodidit, praeter equites multas alias centurias *primae classis* censorem condemnasse. Cicero quoque (Phil. II, 33) *primae* et *secundae classis* mentionem facit. Idem pro Flacco, cap. VII: *tributim, centuriatim descriptis ordinibus, classibus, aetatibus.* (Cf. Auson. in grat. act. c. 13: *Valete modo classes populi.*) De numero autem classium edocemur ab auctore libelli de republica ordinanda ad Caesarem scripti, quem libellum vulgo Sallustio tribuunt, in quo commemoratur, C. Gracchum in tribunatu legem promulgasse, ut ex confusis *quinque* classibus sorte centuriae vocarentur. Celeberrimus Niebuhrius quidem auctorem talia narrantem erroris accusat: scilicet non alia motus ratione, nisi quod ipsius sententiae de recentiore centuriarum constitutione minus convenit. Quod quum aliquanto auda-

cius, quam ut probari possit, fecisse videatur, nolim ego accusationi ab eo prolatae subscribere. Immo verosimile potius esse videtur, classium numerum a Servio Tullio institutum in nova centuriatorum comitiorum ordinatione intactum mansisse, etsi concedendum sit, hasce classes nisi nomine tenus Servianis classibus non respondere. Constat autem ex Cicerone (de rep. II, 22) et Gellio (X, 28), Servium *quinque* classes constituisse. Quapropter etiam apud Asconium (ad Cic. fragm. Corn.) legimus, primum *quinque* tribunos plebis, singulos ex singulis classibus creatos esse: Livius autem (III, 30) refert, tricesimo sexto anno a primis tribunis plebis decem creatos esse, binos ex singulis classibus. Quod autem Dionysius Halicarnassensis (IV, 18) sex classes numerat, id si minus exactum, non utique falsum est. Erat enim magna civium multitudo extra classes constituta et maximam partem in unam centuriam proletariorum et capite censorum coacervata, quam non immerito dixeris quasi sextam constituisse classem. (Cf. Liv. I, 43. Cic. de rep. II, 21 fin.)

II. Servatae sunt equitum centuriae, ut ex compluribus Marci Tullii Ciceronis locis (ad divers. XI, 16; de rep. II, 20, IV, 11) apparet, et ex Quinti etiam Ciceronis libello de petitione consulatus conspicere licet. Neque in numero centuriarum, quem Servius Tullius equitibus assignaverat, quicquam immutatum esse censeo, ita ut duodeviginti equitum centurias suffragia tulisse putandum sit. (Cf. Dionys. Halic. IV, 18.) Dubitationem movet locus Livii (XLIII, 16) de Claudio censore apud populum accusato, ubi legimus, quum *ex duodecim centuriis equitum* octo censorem condemnassent, primores civitatis vestes mutasse. Celeberrimus Hüllmannus inde concludit, decem et octo equitum centurias ad numerum duodenarium reductas fuisse. Sed equidem, cur hanc opinionem sequi debeamus, minime intelligo, quum sex suffragia, quae Servius Tullius Ramnensibus, Titiensibus et Luceribus tribuerat (cf. Liv. I, 43; Fest. voce *sex suffragia;* Cic. de rep. II, 22) in Livii computatione comprehensa non esse suspicari liceat. Nimirum ista suffragia quin etiam in recentiore centuriatorum comitiorum ordine retenta fuerint, vix ullam habere potest dubitationem. Memorat enim Cicero (Phil. II, 33) *suffragia*, quae inter primam et secundam classem in centuriatorum comitiorum ordine collocantur. Facit ad hunc locum magis illustrandum,

quod idem Cicero in libri quarti de republica capite primo equitatus, *in quo suffragia sunt*, mentionem facit. Accedit, quod idem auctor in libri secundi capite quarto eiusdem operis Tarquinium regem equitatum ad hunc modum constituisse tradit, qui *usque adhuc* sit retentus: quod quin de ea equitatus parte, cui sex suffragia data erant, intelligendum sit, nemo dubitabit, quum certissimum sit, duodecim equitum centurias a Servio Tullio demum originem duxisse. Quid quod etiam Vespasiani temporibus vetus institutum non penitus abolitum esse videmus, quum inscriptio quaedam in Gruteriana collectione (p. 243, n. 1) immunitatem *sex centuriarum* commemoret. Hos igitur locos si quis bene perpenderit, non amplius, puto, recusabit concedere, esse *suffragia* illa, de quibus Cicero in oratione Philippica secunda (cap. 33) mentionem facit, referenda ad suffragia antiquissimae equitatus parti tributa. Apparet igitur, Ciceronis aetate sex suffragia a suffragiis primae classis, cui ceterae equitum centuriae accensebantur, distincta fuisse: unde colligere licet, iis temporibus, ad quae Livii narratio in capite decimo sexto libri quadragesimi tertii pertinet, eandem obtinuisse rationem. Quod si posuerimus, quis miretur, Livium de renunciatione suffragiorum primae classis loquentem duodecim tantum equitum centuriarum mentionem facere, praetermissis sex suffragiis, quae inter primam et secundam classem medium quodammodo locum tenebant?

III. Iam si quis de ceteris centuriis, quae in Serviana ordinatione centuriis equitum quodammodo aequiparatae erant, quod a genuinis classium centuriis distinguebantur et adiectitiarum numero censebantur, quaerere velit, utrum in recentiore servatae fuerint, nec ne, difficilior erit disquisitio. 1) In reliquiis iuris civilis, quae vulgo Vaticana fragmenta vocantur, memoratur centuria *accensorum velatorum* (ita enim, adhibita geminationis medela, vitiosam lectionem *censorum velatorum* corrigendam esse, iam ab aliis observatum est). Ait enim iureconsultus (Ulpianus forsan): *Ii qui in centuria accensorum velatorum sunt, habent immunitatem a tutelis et curis* (Vat. 138). Hanc centuriam, etsi ea imperatoris Septimii Severi temporibus ad centuriatorum comitiorum rationem minime pertinebat, tamen a centuria accensorum velatorum descendere, quae ex Servii Tullii legibus originem duxerit, vix est quod dubitemus. Respicit ad hanc centuriam Cicero libri secundi de republica cap. XXII, quod truncatum esse dolemus:

apertius autem Titus Livius (I, 43), de triginta centuriis quintae classis verba faciens, huius centuriae mentionem iniicit. Sic enim legimus: *In his accensi, cornicines tibicinesque, in tres centurias distributi.* Iam si perpenderimus, accensorum centuriam ne tum quidem, quum centuriata comitia omnino obsoleverant, ex omni parte antiquatam esse, non admodum gravi erroris discrimini nos committemus, si usum eiusdem a Servio Tullio introductum post immutatam centuriatorum comitiorum rationem retentum esse arbitremur. 2) Neque non consentaneum videtur, ea, quae de accensorum centuria diximus, probabili coniectura ad duas *cornicinum tibicinumque* centurias transferre, quae quidem secundum Titum Livium (I, 43) pari modo triginta centuriis quintae classis inerant, licet Dionysius Halicarnassensis cornicines tubicinesque quartae classi accenseat, duasque centurias iisdem assignatas a viginti centuriis ex censu constitutis, quae quartae classi per Servianas leges attributae sunt, seiungat. Proinde suspicor, etiam in recentiori centuriatorum comitiorum forma duas centurias cornicinum tubicinumque fuisse: quas si ex quinta classe ad quartam translatas esse coniiciamus, Dionysii errorem facilius explicabimus. 3) Iam non diffido, plerosque, qui accensorum, cornicinum tibicinumque centurias in nova etiam centuriatorum comitiorum ordinatione servatas esse mihi concesserint, eo inclinaturos esse, ut *fabrorum* quoque centurias in centuriatis comitiis recentiorum temporum quaerere velint. Nam Livius et Dionysius Halicarnassensis in eo consentiunt, quod uterque binas fabrorum centurias a Servio Tullio institutas esse refert: at, si Livio credas, statuendum erit, fabrorum centurias cum centuriis primae classis ad suffragia ferenda vocatas esse: si Dionysii narrationem praeferas, easdem centuriis secundae classis adiungere debebis. Cicero (de rep. II, 11) unam tantum fabrorum centuriam, fabros tignarios continentem, cum centuriis primae classis coniungit, tacite nobis innuens, alteram fabrorum ferrariorum centuriam secundae classi accensendam esse. 4) Proletariorum et capite censorum centuriam idem Cicero (loco cit.) respexisse videtur, quum post accensos velatos, liticines, cornicines proletariorum mentionem facit: quibus capite censos additos esse forsitan legeremus, nisi in Vaticano codice, qui plagulas palimpsestas librorum de republica nobis servavit, cum verbo *proletariis* folium desineret, et sequens folium deperditum esset. Est autem haec

proletariorum et capite censorum centuria haud dubie eadem, quae secundum Livium (I, 43) et Dionysium Halicarnassensem (IV, 18) ex iis civibus, quorum census minor erat quam is, qui in civibus quintae classis requirebatur, a Servio rege conflata est. In comitiis centuriatis recentioris aevi nullus huius centuriae usus. Quum enim in tribubus omnes cives, etiam proletarii et capite censi, continerentur, centuriae autem ex divisis tribubus constitutae essent, necesse erat, pauperrimus quisque quasi tribulis alicui centuriae accenseretur: debebat igitur cessare singularis proletariorum centuria, quam eum in finem Servius Tullius constituerat, ne pauperiores suffragii iure penitus privarentur. 5) Ex Festo discimus, praeterea constitutam esse a Servio Tullio rege centuriam, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua, eamque centuriam appellatam esse *ni quis scivit.* Addit Festus: *Sed in ea centuria neque censetur quisquam, neque centurio praeficitur, neque centurialis potest esse, quia nemo certus est eius centuriae.* Apertissimum est, hanc centuriam momentum fecisse, si forte centuriarum suffragia pari numero diversas sententias secuta essent. Sed difficilius est intelligere, quomodo talis suffragiorum partitio evenire potuerit. Complectebatur enim prima classis ex Servii institutione octoginta centurias, secunda, tertia et quarta coniunctim sexaginta, quinta autem (inclusis tribus centuriis accensorum, cornicinum, tibicinum) triginta. Quibus si addideris decem et octo equitum centurias, duas quae fabris lignariis et ferrariis concessae erant, et unam proletariorum atque capite censorum, habebis centurias centum nonaginta et unam. Erant igitur centuriae impari numero institutae, ita ut etiam suffragiorum partitio inaequalis esse deberet. Ergone centuria ni quis scivit prorsus inutilis videatur? Sed quidni cogitemus, Servium Tullium eum prospexisse casum, si quando unius centuriae suffragium deficeret, id quod evenire poterat, si forte omnes centuriales a comitiis abessent? Enim vero omnino verendum erat, ne in centuriis inferiorum classium, quae rarius ad ferenda suffragia vocarentur, id aliquando contingeret. Quodsi tibi haec legislatoris diligentia nimia videatur, nonne etiam hoc offensioni esse debet, quod Servius Tullius cogitatione praecepit, fore multitudinem quandam civium, qui in centuria sua sententiam ferre neglecturi essent? Facile concedo, huius centuriae suffragium vix unquam desideratum fuisse: sed nihil obstat,

quominus credamus, ius ipsum, quo ista centuria inniteretur, etiam in nova centuriarum ordinatione servatum fuisse, idque eo magis, quod apud Festum (l. c.) de hac centuria tamquam de re praesenti sermo est.

IV. Itidem servata est in classibus ea centuriarum ratio, qua seniores a iunioribus disiungerentur, separataeque centuriae seniorum iuniorumque essent, ut ex Cicerone (in Verr. V, 15) et plerisque Livii capitibus (I, 43; XXIV, 7; XXVI, 22; XXVII, 2) luculenter apparet. Quae seniorum iuniorumque distinctio, si Dionysio Halicarnassensi fidem habemus, etiam in centuriis fabrorum et in centuriis cornicinum tibicinumque obtinuit: sed est, quod dubitemus, quia ex iis, quae Cicero (de rep. II, 22) de centuria fabrorum tignariorum tradit, elucere videtur, fabrorum centurias non ex aetate, sed ex operum genere dispartitas fuisse. Nonnulli etiam in equitum centuriis similem inter seniores iunioresque distinctionem obtinuisse opinantur: sed iure meritoque eorum opinio displicuit, quippe quae omnino nulla veterum auctoritate nitatur. Fatendum est, fuisse in *ordine* equestri non iuniores solum, sed etiam seniores: eos autem non equitum *centuriis* adscriptos fuisse, sed in ceteris primae classis centuriis suffragia tulisse, iam ab aliis qui de centuriatis comitiis scripserunt, animadversum est. Quocirca etiam Livius (II, 20) equites *iuventutis proceres* vocat, et Quintus Cicero in capite octavo epistolae, quam de petitione consulatus ad Marcum fratrem scripsit, vim ordinis equestris aperte ab ea discernit, quae in equitum centuriis posita est, quos ut adulescentulos describit. Ait enim: *Primum cognoscendi sunt equites; pauci enim sunt: deinde adipiscendi, multo enim facilius illa adulescentulorum aetas ad amicitiam adiungitur.*

V. Legitimus ordo in suffragiis ferendis posteriore etiam aetate eam potissimum formam, quam Servius Tullius instituerat, servasse et leviter tantum immutatus esse videtur. 1) Suffragiorum ferendorum initium a praerogativa centuria factum esse notissimum est. (Liv. V, 18; X, 22; XXIV, 7; XXVI, 22; XXVII, 6. Cic. Phil. II, 33.) Sed licet dubitare, utrum praerogativae centuriae institutionem Servianis legibus tribuere debeamus, ita ut postera aetas eam non invenerit sed retinuerit, an potius pro recentiore instituto sit habenda. Etsi vulgarem opinionem posteriori sententiae favere scio, mihi tamen contraria magis

probatur. Traditum est enim apud Dionysium Halicarnassensem (IV, 20), plerumque in centuriatis comitiis prima vocatione rem absolutam esse, raro autem usque ad quartam venisse. Inde apparet, infimae classis homines ceteramque civium multitudinem fere nunquam ad suffragia venisse, et nomine magis quam re comitiorum participes fuisse (cf. Liv. I, 43). Iam si cum Cicerone (de rep. II, 22) Servii Tullii prudentiam laudare velimus, quod curavit, ut suffragia non in multitudinis, sed locupletium potestate essent, erat tamen providendum, ne humiliores aegrius ferrent, sese comitiorum tamquam expertes esse. Id vitium profecto aliqua ex parte emendabatur, si sorti committeretur, quaenam ex omni centuriarum numero in suffragiis ferendis principem locum obtinere et quasi omen comitiorum (cf. Cic. de divin. I, 45; pro Muraen. 18) praebere deberet. Quo quidem modo quum fieri posset, ut quaelibet etiam infimae classis centuria sortis beneficio in praerogativae locum eveheretur, callidum erat in eo positum incitamentum, quod multitudinem, ut diligentius comitiis interesset, alliceret. Fateor, in legum Servianarum recensione nihil de praerogativae sortitione proponi, et post multas aetates demum centuriae praerogativae mentionem fieri (Liv. V, 18; X, 22; XXIV, 7, 9; XXVI, 22; XXVII, 6. Cic. Phil. 11, 33. Cic. pro Planc. 20. Pseudo-Ascon. ad Verr. act. I, cap. 9): quis autem in re antiquissima eandem historicorum ubertatem expectabit, quam in posteriorum temporum historiis fontium abundantia patitur? 2) Praerogativam centuriam secuta est in suffragiis ferendis prima classis, et ita quidem, ut, antequam prima classis vocaretur, suffragii quod praerogativa tulisset renunciatio fieret. Primae autem classis centuriae simul vocabantur, ita ut etiam simul in suffragium irent, et praeco earum suffragia non singulatim sed uno eodemque tempore recitaret, sic tamen, ut intelligeretur, quot equitum, seniorum, iuniorum centuriae hunc vel illum candidatum elegerint, aut rogationem probaverint antiquandamve censuerint. Primam classem excipiebant sex suffragia, quae itidem simul renunciabantur. Sequebantur secundae classis suffragia eorumque renunciatio: succedebant tertia classis ceteraeque usque ad quintam. Quae quidem omnia Ciceronis aetate observata fuisse, satis constat: legimus enim in Philippicis (II, 33): *Ecce Dolabellae comitiorum dies. Sortitio praerogativae. Quiescit* (scil. Antonius). *Renunciatur. Tacet. Prima classis*

vocatur; deinde, ut assolet, suffragia; tum secunda classis. Idem Cicero alio loco (in Verr. V, 15): *Praeconis voce, qui te toties seniorum iuniorumque centuriis illo honore affici pronunciavit.* De Serviano tempore similia narrat Livius (I, 43): *Equites enim vocabantur primi, octoginta deinde primae classis centuriae: ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secunda classis vocaretur.* In eo tantum negligentius locutus esse videtur Livius, quod, dum equites primo loco vocatos esse dicit, oblitus est excipere sex centurias, quas in ipsis instituti nostri incunabulis eundem quem postea locum obtinuisse mihi admodum verisimile est, quum palam sit, in sex suffragiis ius antiquum religiosius servatum esse. Sane et in eo paullulum differt Livii narratio de Serviano comitiorum ordine, quod primo equites (scil. duodecim equitum centurias) et post equites centurias seniorum iuniorumque in suffragium missas esse dicit auctor: quanquam haud scio, an etiam posterioribus temporibus equites prae ceteris primae classis centuriis ovile intraverint. Quae Cicero de Dolabellae comitiis narrat, non adversantur, dummodo ponamus, equitum suffragia non separatim, sed una cum ceteris primae classis suffragiis renunciata fuisse. Quod quominus etiam ex Servianis legibus ita observatum esse putemus, locus ex Livio citatus minime impedit. 3) De cornicinum tibicinumque centuriis supra monui, probabile esse, easdem e quinta classe, cui Servius Tullius has centurias inesse voluit, in quartam classem traductas fuisse, ita ut Livius de Servianis temporibus, Dionysius Halicarnassensis autem de recentioris aetatis usu intelligendus sit. 4) Accensorum velatorum centuriam locum suum in quinta classe servavisse crediderim: certe desunt argumenta, quae nos adducere possint, ut de immutatione facta cogitemus. 5) Duas fabrorum centurias Servius Tullius ita collocasse videtur, ut altera earum in prima, altera in secunda classe suffragium iniret. Cicero enim loco vexatissimo libri secundi de republica (cap. 20) unam tantum fabrorum centuriam primae classi additam esse tradit, quum alioquin ex Livio et Dionysio satis notum sit, Servium Tullium duas fabrorum centurias instituisse, quas Livius sine ullo discrimine primae classi attribuit, Dionysius autem ad secundam classem refert, ita ut utrumque vera ratio fugisse videatur. Quem locum istae centuriae in recentiore centuriarum ordinatione obtinuerint, in incerto relinquo: et si velis Dionysii errorem inde explicare.

quod auctoris aetate ambae fabrorum centuriae cum centuriis secundae classis suffragatum vocabantur, non adversabor. 6) Proletariorum et capite censorum centuria, ut antea dixi, ab immutata centuriatorum comitiorum ratione aliena est: antiquitus eandem post quintam classem suffragium tulisse, vix quisquam in dubium vocabit. 7) Centuria *ni quis scivit* quin postremo loco in suffragium vocanda fuerit, dubitari nequit: ceterum memoria repetendum est, nec Serviana aetate, nedum recentioribus temporibus ullam unquam occasionem huius centuriae in suffragium vocandae obvenisse videri. — Fui fortasse in exponendo suffragiorum ferendorum ordine paulo copiosior, quam ad propositum meum necesse esse videatur. Sed explicandum erat, quomodo fieri potuerit, ut legibus satisfieret et centuriata comitia intra unius diei spatium, id est, ab ortu solis usque ad occasum, absolverentur, ne quis cum illustri Niebuhrio istam comitiorum intra unius diei spatium expediendorum difficultatem, quae aperta est, si singulas centurias in suffragium vocatas statuamus, pro argumento afferat contra eorum opinionem, qui ex recentiore centuriarum constitutione numerum earum (praeter equitum centurias ceterasque quae in adiectitiorum numero sunt) usque ad trecentas et quinquaginta auctum esse affirmant. Equidem, etsi mihi maximopere placet summi viri sententia de minore centuriarum numero, et pleraque etiam argumenta ab ipso allata satis arrident, id ipsum argumentum, quod a temporis diurni brevitate ad suffragia ferenda minime sufficiente petitum est, meum facere nolim. Cetera, si omnino concedere debemus, unius diei spatium sufficere non potuisse, ut trecentae sexaginta et octo centuriae, singulae singulis succedentes, suffragia ferrent, itidem fatendum erit, suffragiorum perficiendorum difficultatem post adauctum civium Romanorum numerum fere eandem fuisse, sive maiorem sive minorem centuriarum numerum probemus, quum in minore centuriarum numero, repletis tanto maiore civium multitudine centuriis, maiore etiam temporis spatio ad suffragia ferenda opus esset. Unde mihi persuasum est, comitia legitimo tempore expediri non potuisse, etiamsi non amplius septuaginta (vel potius tres et nonaginta, si adiectitias etiam centurias connumeraveris) centurias constitutas dicamus, nisi plures centuriae simul in suffragium mitterentur.

Attingimus iam ipsum scopum disquisitionis a me institutae. Namque merito quaeritur, quomodo centuriarum iuniorum seniorumque ordinatio a Serviana centuriarum temperatione diversa fuerit. Titus Livius (I, 43) aperte docet, Servianarum centuriarum divisionem numerumque nequidquam ad tribuum distributionem pertinuisse. Quo innuit, citeriore aevo diversam rationem obtinuisse. Id quod aliunde etiam satis luculenter apparet. Sunt enim centuriae partes tribuum. Habemus luculentissimum huius rei testimonium in Ciceronis oratione pro Plancio (cap. 20). Ait enim orator: *An tandem una centuria praerogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit: tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum aedilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declaravit, cuius in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint praerogata?* Porro centuriarum atque tribuum coniunctio ex eo intelligitur, quod antiqui scriptores innumeris locis tribuum mentionem faciunt, quum de centuriatis comitiis agunt. Ita Livius (XXV, 2): *ad suffragium ferendum in tribus decursum est.* Idem (XL, 42): *tribus intro vocatae.* Ita etiam Cicero in oratione adversus Rullum (II, 2): *Itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praeconum, sed una voce universus populus Romanus consulem declaravit.* Varro (de re rust. III, 2, 17) *quem quaeque tribus in campo Martio auspicato consule praeside fecit aedilem.* Polybius (VI, 14) de capitis accusatione loquens, quam ad centuriata comitia pertinuisse inter omnes constat, *tribuum* suffragia memorat. Itaque etiam Suetonius Caesarem narrat libellos *circum tribus* misisse, quibus candidatos populi suffragiis commendaret, Octavianum autem, quoties comitiis magistratuum interesset, *tribus* cum candidatis suis circumisse et more solenni supplicasse (Caes. 41. Octav. 56). Idem Suetonius in Caesare (80) memorat, C. Cassium, M. Brutum ceterosque, qui adversus Caesarem conspiraverant, primum cunctatos esse, num eum in campo per comitia *tribus* ad suffragia vocantem trucidarent. Tacitus (annal. L, 15) de Tiberio, magistratuum creationem a populo ad patres transferente agens, ad eum diem quaedam etiam studio *tribuum* facta esse tradit. Consentaneum est, quod apud Ciceronem (pro Planc. 22) de *tribubus* legitur,

quarum suffragia candidati amicis suis concedunt: item quod plerumque de *tribuum* suffragiis per corruptionem comparandis apud antiquos scriptores relatum invenimus (Cic. ad Att. I, 16; Sueton. Octav. 40. Cf. Cic. pro Planc. 16, 19): denique quod loco praerogativae *centuriae* nonnunquam praerogativae *tribus* mentio fit; quo nomine eam significari tribum palam est, cuius haec illave centuria sortitione suffragii ferendi principatum obtinuerit. (Liv. V, 18; X, 22; XXVII, 6; Pseudo-Ascon. ad Verr. act. 1, cap. 9. *Praerogativae tribus sunt, quae primae suffragium ferunt ante iure vocatas.* Ad quem locum viri docti recte quidem animadverterunt, praerogativas tribus plurali numero non eo sensu nominari, quasi in iisdem comitiis plures tribus praerogativae fuissent, sed scholiasten generalem definitionem eiusmodi tribuum proferre.) Inprimis autem huc pertinet, quod centurias a tribubus nomina sumere videmus. Occurrunt apud Livium centuria Aniensis iuniorum (XXIV, 7), Veturia iuniorum (XXVI, 22), Galeria iuniorum (XXVII, 6) et in Gruteriana collectione (pag. 239) legitur inscriptio monumenti, quod *tribus Succusana iunior*, i. e. centuria iuniorum tribus Succusanae (alias ignotae, quia alioquin nonnisi de pago Succusano mentio iniicitur) imperatori Vespasiano dedicavit. Possunt praeterea inter argumenta, quae tribuum cum centuriis coniunctionem demonstrant, tres loci Liviani referri, ad historiam annorum CCCIX, CCCLVIII et CCCLXXII ab urbe condita pertinentes, etsi celeberrimum Niebuhrium adversarium habemus, qui, recentiore centuriarum ordinatione censurae Q. Fabii et P. Decii (CCCCXLVIII a. u. c.) tributa, novi ordinis vestigia in anteriorum temporum historiis agnoscere recusat. At mihi quidem ex iis ipsis Livii nostri locis satis elucere videtur, Servianam centuriarum rationem iam dudum ante tempus a Niebuhrio definitum obliteratam esse. Neque tamen clarissimo Walthero assentior, qui antiqui ordinis immutationem legibus duodecim tabularum attribuit, quum nemo mihi hucusque persuadere potuerit, hasce leges, quarum reliquiae partim ordinem iudiciorum privatorum, partim ius privatum, partim iudicia publica spectant, ad formam modumque reipublicae pertinuisse. Malim rem in incerto relinquere: sin autem res coniectura tentanda est, vix non adducor, ut in ipsis liberae reipublicae initiis, quum centuriata comitia a Servio Tullio instituta, mox abolita et oblivioni tradita, in usum revocarentur, eam de

qua agimus commutationem factam esse credam. Neque repugnabo, si doctissimi Wachsmuthii sententiam tuam facere velis, qui ex Livio (II, 21) colligit, a. u. c. CCLIX non unam tribum ad viginti tribus additam fuisse, ut una et viginti efficerentur, sed eodem anno plane novam tribuum divisionem factam esse. Quod si concesseris, omnino verosimile est, eo ipso anno novam centuriarum rationem initium cepisse. Forsitan obieceris, eorum opinionibus, qui mutatam centuriatorum comitiorum ordinationem ad ipsa liberae reipublicae incunabula referant, haud convenire, quod Dionysius Halicarnassensis (IV, 21) tradit, praeclarum civitatis ordinem et reipublicae gubernandae modum per multas aetates durasse et a Romanis constanter servatum esse, sed auctoris aetate in quoddam genus magis populare, urgentibus quibusdam gravibus necessitatibus, mutatum esse (*μεταβέβληται εἰς το δημοτικώτερον*). Sed inspicienda etiam sunt, quae sequuntur. Ita enim pergit Dionysius: eam mutationem non ita intelligendam esse, tamquam centuriae sublatae fuissent, sed strictam classium rationem, quae apud antiquos obtinuerat, amplius servatam non esse (*οὐ τῶν λόχων καταλυθέντων, ἀλλὰ τῆς κλήσεως αὐτῶν οὐκ ἔπι τὴν ἀρχειὰν ἀκρίβειαν φυλαττούσης*): igitur hoc loco Dionysius non affirmat, Servianam centuriarum rationem per multas aetates continuatam esse, sed id tantum innuit, Servii Tullii praeclaram in republica ordinanda prudentiam, qua ditioribus, quibus bellorum pericula suscipienda et publicae impensae ferendae essent, multo largiorem in administranda republica partem concesserit, quam pauperibus, qui minimam civilium munerum partem haberent, apud Romanos constanter servatam et auctoris demum aetate neglectam esse: unde concludere licet, pauperes cum divitibus penitus confusos et praeponderantem optimatum in suffragiis auctoritatem destructam esse. Sed redeamus ad locos Livianos, quos supra indicavi. Priore loco (III, 71, 72) narrat Livius, Aricinos atque Ardeates, de ambiguo agro quum saepe bello certassent, *populum* Romanum iudicem cepisse. Quum ad causam orandam venissent, *concilio populi* a magistratibus dato, magna contentione actum esse: iamque editis testibus cum *tribus* vocari et *populum* inire suffragium oporteret, P. Scaptium quendam a *consulibus* petiisse, ut ipsi de republica dicere liceret. Cuius oratione effectum est, ut, frustra contra nitentibus consulibus et primoribus patrum, *vocatae tribus* iudicarent, agrum publicum populi

Romani esse. Quo in loco quominus de tributis comitiis cogitemus, illud impedit, quod consules memorantur et concilium populi, praecipue autem, quod Aricini atque Ardeates non plebem Romanam sed populum iudicem fecerant. Secundo loco (V, 18) Livius tradit, praerogativam et iure vocatas *tribus* P. Licinium Calvum, omnes deinceps ex collegio eiusdem anni tribunos militum creavisse. Niebuhrius hunc locum de tributis comitiis intelligit: sed obstat, uti Waltherus recte notavit, alius eiusdem Livii locus (V, 52 f.), qui aperte nos edocet, tribunos militum consulari potestate in centuriatis comitiis electos fuisse; obstat etiam, quod comitia apud Livium memorata ab *interrege* habita sunt. Postremo loco (VI, 21) refert Livius, nequidquam dissuadentibus tribunis plebis omnes *tribus* bellum iussisse. Quem locum si quis de tributis comitiis intellexerit, orietur difficultas, quod Livius ait, tribunos plebis rogationi contrarios fuisse, quum tributa comitia omni tempore tribunorum plebis arbitrio et auctoritate haberentur. Accedit, quod secundum Dionysium Halicarnassensem (IV, 20) ex Servii Tullii instituto centuriatis comitiis de bello agendum erat.

Ceterum sicut manifestum est, centurias ex recentiore Romanarum legum ordinatione partes tribuum esse, ita etiam pro certo habere debemus, geminas uniuscuiusque tribus centurias exstitisse, unam seniorum, alteram iuniorum. Argumento sunt plerique loci, in quibus centuriarum nomina a tribubus desumta, addito vocabulo iuniorum nobis occurrunt (Liv. XXIV, 7; XXVI, 6), praecipue autem narratio, quam in Livio de comitiis consularibus anni DXLI (XXVI, 22), quibus Fulvius consul praesidebat, relatam invenimus. Praerogativa Veturia iuniorum consules declaraverat T. Manlium Torquatum et T. Otacilium. Manlius, consulatum repudiaturus, petit, ut centuria, quae suffragium tulerat, revocaretur. Revocati mox negant, se aliquid sententiae mutaturos esse: tandem auctoritate Manlii commoti petunt a consule, ut Valeriam seniorum citaret: velle sese cum maioribus natu colloqui, et ex auctoritate eorum consules dicere. Citatis Veturiae senioribus datum secreto in ovili cum his colloquendi tempus. Consultatione habita senioribus dimissis iuniores suffragium ineunt.

De nulla alia re magis discrepant recentiorum sententiae quam de numero centuriarum, quae in singulis tribubus continebantur. Illustris Niebuhrius eorum

opinionem sequitur, qui singulas tribus in binas tantum centurias, unam seniorum, alteram iuniorum partitas fuisse suspicantur, ita ut centuriarum numerus duplicato tribuum numero conveniret, ideoque ex eo tempore, quo expletus est numerus triginta quinque tribuum, septuaginta centuriae, i. e. triginta quinque seniorum et totidem iuniorum, confectae fuerint. Huius opinionis firmissimum argumentum praebet Livius (I, 43), qui, expositis Servii Tullii institutis, ita pergit: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est post expletas quinque et triginta tribus, duplicato eorum numero centuriis iuniorum seniorumque, ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire.* (Hic data occasione obiter notandus est quorundam error, qui, Livium male interpretati, tribus centuriasque eo demum tempore coaluisse volunt, quo tribuum numerus usque ad triginta quinque sit auctus, id quod non ante annum a. u. c. DXIII factum est; quum tamen ex iis, quae supra demonstrata sunt, luculentum fiat, iam anterioribus temporibus centuriarum rationem mutatam esse. Sed Livius, periculum esse arbitratus, ne centuriarum numerus, qui aetate ipsius obtineret, collatus cum Serviano instituto, lectoribus dubitationem moveret, monendum esse duxit, inter novissimum centuriarum numerum et novissimam summam tribuum rationem quandam intercedere.) Praeter hunc Livii locum ad sententiam summo Niebuhrio probatam illud etiam facit, quod Livius loco paulo antea allegato (XXVI, 22) de duabus Veturiis, i. e. iuniorum et seniorum, sic loquitur, quasi duae solummodo huius nominis centuriae extitissent. Similiter idem Livius Aniensem iuniorum (XXIV, 7) et Galeriam iuniorum (XXVII, 6), nulla adhibita discriminis nota, commemorat, ita ut una tantum huius nominis centuria iuniorum fuisse videatur. Hisce argumentis ii, qui adversariorum partes sustinent, non aliter occurrere possunt, nisi ita, ut statuant, primum, quamlibet tribum ex censu in quinque classes distributam fuisse, quarum unaquaeque binas centurias, i. e. unam iuniorum, alteram seniorum, contineret; deinde, sortitionem praerogativae inter centurias primae classis usu venisse, ut minime mirandum sit, Livium in locis allegatis, in quibus de praerogativa centuria sermo est, Aniensis vel Galeriae vel Veturiae mentione facta, classis numerum non addidisse, quum ipsa iuris ratio postularet, ut de ceteris centuriis, quae ad inferiores classes pertinerent, cogitari non posset. Sed

quorsum quaeso attinebat, praerogativae beneficium ad primam classem restringere, quae vel absque sorte perpetuo suo iure prima vocabatur? Praeterea in memoriam revocare iuvabit, quod antea monui, praerogativae sortitionem, uti coniicere licet, eum in finem inventam esse, ut etiam inferiorum classium cives aliquam spem suffragiorum ferendorum haberent. Nihilo probabilior altera est coniectura, quam de singulis tribubus in quinas classes divisis proponunt: qua sublata tamen ea, quam supra memoravi, locorum Livianorum interpretatio stare nequit. Sed antequam argumenta, quae ad istam refutandam sententiam facere videntur, proferam, eos, qui centurias seniorum quintuplicato tribuum numero exaequatas esse, totidemque iuniorum centurias exstitisse putent, ita ut numerus centuriarum ad trecentas et quinquaginta excreverit, obiter monitos esse velim, hisce trecentis et quinquaginta centuriis praeterea adiiciendas esse equitum, fabrorum, accensorum, cornicinum et tibicinum centurias, quas in nova centuriatorum comitiorum constitutione servatas esse, quantum ad equites certissimum, quantum ad ceteros verosimile est. Proletariorum etiam et capite censorum centuria ut statuatur necesse est, ne pauperiores, quorum census minor erat eo, quem Servius quintae classi praescripserat, omni suffragii iure carerent: nisi forte celeberrimi Hüllmanni sententia praeferatur, qui cives quinque classibus adscriptos in tribus rusticas tantum dispertit, ita ut singulis illis tribubus denas centurias, i. e. quinas seniorum et totidem iuniorum, tribuat, quattuor urbanis autem, quibus octo tantum iuniorum et seniorum centurias concedit, cives intra classes constitutos assignet. Ceterum idem, quod antea dictum est, nunc repeto: mihi quidem quaelibet recentiorum centuriarum explicatio, quae singularum tribuum in quinque classes descriptionem praeponat, reiicienda esse videtur. Primum enim considerandum est, quod Niebuhrius observavit, Polybium de reipublicae Romanorum forma loquentem eiusmodi verbis uti, quibus haud facile usus esset, si ipsius tempore classes ad similitudinem earum, quas Servius Tullius instituerat, ex civium Romanorum censu ordinatae fuissent. Deinde perpendere debemus, fieri non potuisse, quin classes ex civium censu constitutae iisque accommodatae centuriae, turbato census ordine perturbarentur: atqui notissimum est, censum non raro per longum tempus intermissum esse. Denique et a Niebuhrio animadversum et per se perspicuum est,

eam classium rationem, quae in Servianis legibus constituta esset, postera aetate servari non potuisse. Quum enim divitiae Romanorum in immensum crevissent, fieri non potuit, quin tales facultatum differentiae, quales erant eae, quae ex Servii Tullii ordinatione civibus in classes recensendis modum dabant, quasi evanescerent. Nova igitur ratione modus facultatum singulis classibus fuisset constituendus, si classium distributio, quae ex sensu civium penderet, in usu mansisset. Quominus autem eiusmodi immutationem factam credam, obstat Livii silentium, qui, in exponendis Servii institutis idoneam nactus occasionem mutatae commemorandae rationis, tamen eam ne verbo quidem attigit. Neque alibi, vel apud ipsum Livium vel apud alium scriptorem de novo classium censu sermo est, quum de censu senatorio et equestri satis constet. Quapropter tempore belli Punici secundi, quum propter imminens bellum Siciliense nautae desiderarentur, et senatui placeret, ut socii navales a privatis pro modo facultatum darentur et alerentur, non satis fuit statuere, quid a cuiusvis classis hominibus praestari oporteret (quod sine dubio optimum erat, si populus centuriatorum comitiorum causa in classes ex censu ordinatas divisus fuisset), sed quodammodo classes in hunc casum stabiliendae erant. Edictum est itaque, ut, qui L. Aemilio C. Flaminio censoribus millibus aeris quinquaginta ipse aut pater eius census fuisset ad centum millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum cum sex mensium stipendio daret: qui supra centum millia usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo: qui supra trecenta millia usque ad decies aeris (1,000,000) quinque nautas: qui supra decies, septem: senatores octo nautas cum annuo stipendio darent. (Liv. XXIV, 11.) Sed audio adversarios, qui cives ex censu in classes et centurias distributos esse contendunt, dicentes: sane quidem argumenta, quae tu in contrariam partem protulisti, praecipui momenti sunt; at non intelligimus, quid de classibus in recentiore centuriarum ordinatione commemoratis statuendum sit, nisi eas ad modum Servianarum institutas esse cogitemus. Quidni autem aliam difficultatis expediendae viam ingrediamur, ipsasque tribus in quinque classes digestas fuisse dicamus? Satis notum est, fuisse ordinem quendam tribuum (cf. Cic. adv. Rull. II. 29); isque ex eo etiam conspicuus est, quod in centuriatis comitiis *tribuum iure vocatarum* frequens est mentio (Pseudo-Ascon. ad Cic. in Verr. act.

I, c. 9. Liv. V, 18; X, 22; XXVII, 6); item ex eo, quod Cicero in oratione adversus Rullum (II, 2) de *extrema tribu suffragiorum* loquitur, ipse de se iactitans, se non extrema tribu, sed primis illis populi concursibus declaratum esse. Quid si dicamus, hunc ordinem tribuum in illa classium distinctione consistere? Sicut autem nec in Serviana classium ordinatione singulae classes parem centuriarum numerum continebant, ita etiam nil obstat, quominus singulis classibus citerioris aevi diversum tribuum numerum attribuamus. Equidem concedo, ex eo tempore, quo triginta quinque tribus completae sunt, partitionem ita fieri potuisse, ut singulae classes septem tribus, id est quatuordecim centurias, haberent. Sed tenendum est, quod antea exposui, eam reipublicae formam, in qua centuriae essent partes tribuum, iam dudum ante expletas triginta quinque tribus in usu fuisse: priusquam autem iste numerus tribuum expletus esset, plerumque ea erat ratio in legitimo tribuum numero, qua aequalis in quinque partes divisio non admitteretur. Iam si negandum est, septem tribus ad singulas classes pertinuisse, quid est quod de classium constitutione statuamus? Equidem id tantum pro explorato habeo, infimam classem quattuor urbanis tribubus constitisse, quas a Q. Fabio censore ab u. c. CCCCXLIII (CCCCXLIX) id nomen accepisse Livius tradit. Ait enim (IX, 46), Fabium simul concordiae causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quattuor tribus coniecisse urbanasque eas appellasse. Verumtamen ne credas, ante Q. Fabii censuram nullum tribuum ordinem obtinuisse, istasque quattuor tribus eousque eadem qua ceterae dignitate fuisse: etenim in eo tantum Fabius novavit, quod priorum classium tribus, quarum dignitatem Appii Claudii censura, humilibus per omnes tribus divisis, imminuerat, quasi in integrum restituit, omni proletariorum et capite censorum turba in infimae classis tribus coniecta. Cuius vestigia sequentes alii postea censores omnem libertinorum multitudinem iterum iterumque in quattuor tribus, quae iam urbanae vocabantur, redegerunt. Liv. epit. lib. XX (a. u. DXXXIII), Liv. XLV, 15 (a. u. DLXXXVII). Cf. Cic. de orat. I, 9. Ceteroquin minime repugnaverim, si quis in constituendo tribuum ordine census rationem habitam esse putet, ita, ut prima classis illustres divitiarum cumulo tribus et census magnitudine insignes complexa fuerit, deinde in ceterarum clas-

sium tribubus census certa ratione decreverit. Facit ad istam opinionem, quod Servianae classes ad census rationem institutae sunt; et ea erat ingenii Romanorum indoles, ut antiquitatis speciem servare vellent, etiamsi, civili prudentiae et temporis necessitatibus obtemperantes, antiqua innovarent novaque instituerent. Si qui obiiciant, eiusmodi rationem in tribubus regionatim descriptis stare non posse, quia temporum vicissitudines alii regioni favere eiusque divitias augere, alius autem facultates minuere soleant; respondebimus, pertinuisse ad censorum officium, curare, ut tribuum legitimo ordine praecedentium dignitas servaretur, idque eo facilius effici potuisse, quum in civibus per tribus digerendis non raro a iuris publici regula, quae singulorum civium originem respici et secundum eandem tribuum descriptionem fieri vellet, discessum fuerit. In quo pleraque ex censorum arbitrio pependisse apparet, ita ut plerique, partium studiis vel seculo indulgentes, in tribuum constitutione gravissimarum immutationum auctores exstiterint, quarum interdum etiam in historicorum scriptis mentio illata est. Variae severitatis lenitatisve exempla, qua censores adversus humiliores et libertini generis homines usi sunt, supra attuli: addendum est, quod refert Livius (XL, 51) in historia anni ab u. c. DLXXV, censores M. Aemilium Lepidum et M. Fulvium Nobiliorem suffragia mutasse, regionatimque generibus hominum causisque et quaestibus tribus descripsisse.

Praeterea unum est, quod dissertationi meae addendum esse videtur. Georgius Carolus Theodorus Franckius pro explorato habet, extremis liberae reipublicae temporibus centurias ita cum tribubus coniunctas fuisse, ut cunctae, quae ad unam tribum pertinerent, centuriae unicum in centuriatis comitiis suffragium efficerent. Cui opinioni firmandae non alia affert argumenta, praeter illud, quod in centuriatis comitiis tribus praerogativae tribuumque suffragiorum fit mentio. Sed valde dubitaverim, num eiusmodi argumentis res minime verisimilis probari possit. Sunt enim ea centuriata comitia, in quibus suffragia centuriatim computentur: sicut curiata, in quibus curiatim, et tributa, in quibus tributim computatio fieri debeat.

At enimvero in his subsisto, ad idque progredior quod mihi scribendi occasionem dedit. Quippe quum muneris annui mihi demandati finis immineat, indicenda sunt solennia, quibus d. XIX m. Oct. h. XI vir summe reverendus, collegarum suffragiis Rector magnificus in annum sequentem creatus, et a summo praetorii praefecto, cuius opera et consilio Rex noster augustissimus atque potentissimus in administrandis rebus academicis utitur, comprobatus,

JOSEPHUS IGNATIUS RITTER,

SS. THEOL. DR. ET PROF. P. O. VENERABILIS COLLEGII QUOD EST PENES ECCLESIAM CATHEDRALEM AD S. IOHANNEM CANONICUS,

postquam iusiurandum Academiae Rectoribus praescriptum more legitimo dederit, simul cum spectabilibus Decanis et gravissimis Senatoribus in eundem annum electis, pro concione proclamabitur, et acceptis a me honoris insignibus oratione habenda magistratum auspicabitur.

Quam quidem solennitatem ut praeter collegas amicissimos et iuvenes in hac alma universitate bonis literis vacantes, ornatissimos, dilectissimos, vir etiam perillustris, cui cura universitatis nostrae literariae extra ordinem est commissa, reliqui urbis nostrae proceres excellentissimi, artium denique liberalium patroni, fautores, amici, praesentia sua ornare et condecorare velint, ea, qua decet, humanitate et observantia rogamus, invitamus.

Vratislaviae, D. III. M. Oct. A. MDCCCXXXV.